



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. Nerui euehentes ad gubernationem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36126**

6. Vt pij in ferendis laboribus docendi, in ostendendis uirtutum exemplis, & in omnibus periculis confessionis constantiores sint.

7. Vt Deus gratiarum actione & pijs laudibus celebretur. Hos fines liberationum in Ecclesia illustrant multa testimonia, ut Esaie 48. Propter nomen meum longè faciam furorem meum. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemem.

Psalm. 77. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos, ne fortè dicant in gentibus, ubi est Deus eorum.

Psalm. 49. Eripiam te, & tu glorificabis me.

Has causas singuli ad historiam liberati Ioseph, Danielis, Electoris Saxonie Iohannis Friderici, & aliorum piorum accommodent.

### III.

## NERVI EVEHENTES ad gubernationem & auctoritatem.

Singulare & solius Dei donum in est gubernatore auctoritas seu Maestas, ad quam parandam & tuendam hæc tria necesse est coniunctim o Deo tribui.

1. Eximiam uirtutem, & prudentiam.

2. Facili-



2. *Fœlices successus in negocijs uocationis.*  
 3. *Inclinationem animorum diuinitus factam in ipso populo, ut rectè monentes diligat, ipsq; sine contumacia obtemperet.*

Hec tria bona cum solius Dei dona sint, perspicuum est, Autoritatem nec posse, nec debere imitatione accersi. In hanc sententiam Prouerb. 20. Salomon inquit, Vt oculus uideat, & auris audiat, Dominus facit utrumq; hoc est, Vt Ioseph excellat sapientia & præuideat uenturam famem, & cernat qua ratione huic malo occurrendum sit. Deinde ut auris Pharaonis, & totius populi Ægyptiaci hunc seruum, iuuenem, captiuum audiat, ipsiq; obtemperet, utrumq; solius Dei beneficium est. Vt Themistocles ualeret consilio, & cerneret quomodo bellum aduersus Xerxem administrandum esset, & ne eius consilia aspernarentur Græci, sed sponte obtemperarent, utrumq; diuinitus fiebat.

Ita Æschylus optabat,  $\pi\alpha\rho\omega\ \delta\ \epsilon\pi\omicron\iota\tau\omicron\ \kappa\omicron\upsilon\ \tau\upsilon\ \chi\iota\ \pi\rho\alpha\kappa\tau\eta\rho\iota\omicron\varsigma$ , id est, Post consilium sequatur obedientia & successus.

Discamus autem ex hoc loco, Non humana industria parari ueram autoritatem, nec sola sapientia humana regi officia uocationis, sed opus esse auxilio Dei, & in dando consilio, & in flectendis uoluntatibus hominum, & in dandis successibus salutaribus.